

## Erste Periode (1549—1563).

### Nr. 1.

#### *Lektionsplan für 1550 (T. I, S. 14).*

Institutum et ratio doctrinae, quae traditur hoc anno 1550 in collegio S. Hieronymi, Dilingae erecto a Reverendissimo Domino D. Othone, Cardinale et Episcopo Augustano.

Quoniam huius tantae Germaniae calamitatis praecipua causa existit inopia sanae doctrinae ac Doctorum et piorum populi pastorum raritas: ad occurrendum tam gravi malo voluit Reverendissimus Dominus, et vi officii sui et desiderio salutis Germaniae impulsus, Dilingae erigere clericorum studiosorum collegium, ubi aliquamdiu in studio saniorum litterarum et verae pietatis enutriti, possent post populum Dei aut famelicum pascere aut malis cibis corruptum purgare et bene alere. Quod ut commodius fieret, decrevit Reverendissimus Dominus, usus consilio Doctorum et piorum virorum, non solum idoneos Doctores et studiosos discipulos, quos alat, seligere, sed ipsarum etiam disciplinarum, quae tradendae essent, studia discernere, ne scilicet Grammatica cum Logicis aut Philosophicis aut etiam Theologicis inepte confunderentur, aut haec contra cum illis. Id enim non tantum nutrit ac fovet studiosorum incitiam, sed eos etiam saepe in absurdos errores conicit. Hoc ergo consilio ductus, instituit Reverendissimus tres magistros in Grammaticis, unum in Logicis et Philosophicis et duos in Theologicis.

Ex Grammaticis unus docet tyrones declinare, coniugare, Syntaxin et reliqua, quae ad praecepta Grammaticae spectant; ac in necessariis diligenter discipulos exercet, breviter percurrens minus utilia et summa facilitate sine ullo taedio eos promovere ac ad alios magistros cito mittere studens. Hic laborat mane quidem ab octava ad decimam usque, vesperi vero a tertia ad quintam usque. Porro hic idem magister duobus diebus in hebdomada paulo post prandium cantare docet studiosos per dimidium horae.

Alter magister interpretatur ab octava ad decimam usque Ciceronis epistolas et Vergilii Aeneida, verborum vires docte explicans et figuras ac lumina orationis diligenter notans; ac semel in hebdomada sedulo requirit a discipulis rationem eorum, quae audierunt.

Tertius magister interpretatur a prandio a tertia ad quintam usque Rhetorica Ciceronis; atque eius artis praecepta simpliciter et aperte de-

clarata exemplis ex Cicerone desumptis illustrat et ea quasi imprimit auditorum animis, secundum quae post summa vigilantia ac studio exercet discipulos nunc in epistolis, nunc in declamationibus, nunc in aliis variis compositionum generibus.

Hoc anno in Logicis et Philosophicis non est habitus ullus magister, tum quia Theologiae auditores iam iis disciplinis instructi erant, tum etiam quia alii studiosi non satis adhuc idonei ad ea studia iudicati sunt. Sed Christo duce habebitur statim initio anni sequentis, qui, omnibus inutilibus et spinosis resectis, solum tradet utilia et necessaria futuro Theologo.

In Theologicis duo sunt et doctrina et pietate insignes viri, quorum unus mane a septima ad octavam usque sacras litteras interpretatur magna cum pietate et doctrina, ex sanctis patribus collecta, suosque discipulos post a prandio a prima ad secundam usque exercet utilibus et modestis collationibus eorum, quae mane audierunt. Hic porro Doctor suae interpretationis initium sumpsit ab epistolis Pauli ad Timotheum et Titum ac a libris S. Augustini de Doctrina Christiana; quia in illis videatur Paulus declarare non solum quid Doctores Theologi docere, sed quid etiam potissimum discipuli in studio sacrae doctrinae attendere debeant, in his vero Augustinus optime praeparet sacrarum litterarum studiosos ad dignam earum tractationem. Mox autem post Quadragesimam pari cura et pietate explicaturus est Evangelicam historiam.

Alter vero Doctor Theologus vesperi a tertia ad quartam usque simili studio ac vigilantia interpretatur secundum librum Magistri sententiarum, abstinens omnino ab inutilibus quaestionibus, quae aedificationem Dei non praestant, ut inquit Paulus, atque utilia et necessaria aperte et erudite explicans ac ea testimonio sacrae scripturae et sanctorum patrum auctoritate confirmans. Hic etiam audit suos discipulos cum modestia et candore animi conferentes, quae audierunt.

Praeterea decimo quinto quoque die publice praesentibus Doctoribus Theologis habentur disputationes Theologicae non clamoribus contentiosis et inutilibus quaestionibus agitatae, sed ingenua et pia moderatione tractatae; ubi veritas Catholicae et sanae doctrinae modeste inquiritur et sic inventa vehementius amatur et animis auditorum altius infixam manet.

Postremo ad hanc de studiosorum studiis recte dirigendis commemoratam diligentiam accedit vigilantissima cura in formandis eorum moribus ad pietatem atque ad eam vitam, cuius exemplo pastores boni et ecclesiastici gregem sibi commissum pascere debent: tum quotidie attenta animorum reverentia sacrum audiendo, breves quasdam et selectas preces recitando et denique in omnibus modeste et sobrie se gerendo; tum etiam statutis quibusdam diebus nunc pias et eruditas conciones, nunc catholicas et sanctas Catechismi instructiones ex ore Doctorum Theologorum animis excipiendo. Quae sane morum institutio etiam si sola hic fuisset, maximum tamen inde consequitur fructum, favente nobis Domino nostro Jesu Christo, facile speraremus.

## Nr. 2.

*Lektionsplan für 1551 (T. I, S. 15).*

Ratio et ordo doctrinae, quae tradetur ab Octobri anni 1551 usque ad eundem mensem sequentis anni in Collegio Divi Hieronymi Dilingae erecto, per Reverendissimum Dominum, D. Othonem Romanae Ecclesiae Tituli S. Sabinae Cardinalem et Episcopum Augustanum.

## Studii Theologici Ordo.

In Theologia sunt duo et pietate et doctrina insignes Professores, quorum alter, ante meridiem, finita iam historia Evangelica, summa diligentia interpretabitur prima Geneseos capita de mundi opificio, adiunctis ex secundo Sententiarum eiusdem argumenti distinctionibus. Postea aliquot Danielis visiones, cum praelibatione quadam historiarum sacrarum simul veriorem temporum supputationem ostensurus, idque ex probatissimis quibusque et orthodoxis auctoribus. Alter vero post meridiem primi Sententiarum mysteria, omissis inutilibus quaestionibus, fideliter exponit, sacrarum litterarum testimonio et sanctorum Patrum auctoritate sua comprobaturus. Deinde quod reliquum erit temporis, Paulinis Epistolis explicandis impendet. Hi quoque singulis diebus una hora modeste suam cum auditoribus lectionem repetent et audita exigent ac dubiis propositis satisfaciunt. Insuper sexta quaque feria vicissim de auditis lectionibus publicam et ingenuam cum summa modestia et gravitate disputationem instituent.

Quo vero Ecclesiae, pastorum penuria laboranti et multis, qui vel per aetatem vel per ingenium non possunt tam diu studiis vacare, subveniatur, tradentur seorsim quam brevissime, quae ad pastoralem curam et praecipue Sacramentorum dispensationem conducere et sufficere videbuntur.

Philosophiae et imprimis Physicae tradendae ratio.

Duo Magistri eosdem, quos praecedenti anno in Dialecticis exercuerunt, docebunt universam Aristotelis Physicam, hoc modo partiti onus, ut unus ante meridiem duabus horis praelegat octo libros Physicorum cum libris de generatione et de anima cum aliis opusculis, videlicet de somno et vigilia etc. Alter vero post meridiem duabus itidem horis libros de coelo cum libello de sphaera et libros meteororum.

## Dialecticae.

Omnes Aristotelis de Dialectica libros duo alii Magistri hoc modo explicandos suscipient, ut unus ante meridiem duabus horis enarret universalis Porphyrii, praedicamenta Aristotelis cum libris peri hermenias et analyticorum. Alter vero post meridiem binis etiam horis reliquos libros, Topicorum nimirum et Elenchorum; atque hi resectis spinosis et inutilibus ea dumtaxat pure tradent, quae utilia et necessaria sint iis, qui in superioribus disciplinis cum fructu versari velint.

Ad haec quatuor isti Philosophiae Professores ex ordine secunda feria et sabbato cuiusque septimanae praeter domestica Philosophiae exercitia proponunt quaestionem logicam et physicam publice coram suis et Theologiae auditoribus duabus horis discutiendam, ea tamen modestia, ut hac exercitatione discipuli ingenium acuunt promptiusque et aliarum, potissimum sacrae doctrinae capacius reddant, non autem ut discant vanas victorias quaerere aut magnis clamoribus aut de verbis anxie contendere.

#### Grammaticae Institutionis modus.

Primae classis Grammaticorum duo etiam sunt Magistri, quorum alter una hora diligenter suis tradet Syntaxeos praecepta, secunda vero hora Vergilium aut Horatium praeleget. Alter vero similiter una hora suos etymologiae regulas docebit, altera autem hora Ciceronem explicabit. Postea vero quaedam communia et brevia Rhetorices praecepta dilucide tradet. Dabunt quoque hi operam, ut suos auditores declamationibus, epistolis et thematum explicatione aliisque id genus scriptis sedulo exerceant.

Secundae quoque classis Grammatici duos alios Praeceptores habebunt, quorum unus duabus ante prandium horis docebit eos declinandi praecepta et genera nominum aliaque huc spectantia cum vocabulorum significationibus. Alter vero duabus etiam horis post prandium idem in verbis praestabit. Ambo quoque hi diligenter agent, ut omnes Latine loqui assuescant, atque ad hoc suis praelegent generales quasdam et faciles Syntaxeos regulas, ac tandem idoneum aliquem auctorem, ut Catonem, fabellas Aesopi aut colloquia etc. et brevibus quibusdam sententiis Latine reddendis exercebunt.

Porro infimae classis Praeceptores duabus etiam ante et post prandium horis magno studio tyronibus suis inculcabunt communes declinandi et coniugandi formulas aliaque Grammatices prima rudimenta, cum ex Donato, tum ex aliis.

Denique ut paucis summam rei complectar, hoc unum erit omnium Magistrorum studium, ut, quoad fieri potest, brevissimo tempore suos promoveant et ad superiores classes transmittant. Verum ne sine delectu et passim omnes ad superiores lectiones admittantur cum maximo studiorum suorum dispendio, et quia non omnibus aequae docile contigit ingenium neque idem omnibus est studendi desiderium neque omnes huc confluentes aequae feliciter instituti sunt, quos iniquum esset aequali tempore in inferioribus detinere, ideo sexto mense fiet examen assignato cuique pro eruditione sua ordine.

Postremo ad hanc de studiosis recte instituendis diligentiam accedet vigilantissima cura in formandis eorum moribus ad pietatem atque ad eam vitam, cuius exemplo, si ad Ecclesiastici gregis curam vocentur, subditis praelucere possint. Tum quotidie attenta animi reverentia sacrum audiendo, breves et selectas preces recitando, tum etiam Dominicis et festis diebus pias et doctas conciones, Catholicas quoque et sanctas catechismi institutiones ex doctis Theologis audiendo, adeo ut vel ex sola hac morum forma-

tione non dubitaremus, favente Domino nostro Jesu Christo, plurimum fructus consecuturum in Ecclesiae aedificationem et restitutionem, quae summa huius instituti et piissimi Principis intentio est. Qui etiam, ut haec rectius fierent, ex multis iisque celeberrimis Academiis integerrimos et doctissimos viros evocavit.

### Nr. 3.

*Papst Julius III. erhebt das Kollegium des hl. Hieronymus zu einer Universität unter Verleihung der üblichen Privilegien (T. I, S. 22).*

1551 April 6. Rom.

Julius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Copiosus in misericordia Dominus et in cunctis gloriosus operibus, a quo omnia dona defluunt, ad hoc nobis licet immeritis suae sponsae universalis Ecclesiae regimen committere et nostrae debilitati iugum apostolicae servitutis imponere voluit, ut tanquam de summo vertice montis ad infima reflectentes intuitum, quid pro huiusmodi illustranda Ecclesia ad fidei orthodoxae propagationem conferat quidve statui fidelium quorumlibet conveniat, attentius prospiciamus, et ut, cuiuslibet a fidelibus ipsis profligatis ignerantiae tenebris, illi per donum sapientiae, in via mandatorum Domini conservari debeant, attendentes, eos ad quaerendum literarum studia, per quae militantis Ecclesiae respublica geritur, divini nominis ac eiusdem fidei cultus pro tenditur omnisque humanae prosperitatis conditio augetur, nostrae sollicitudinis ope apostolicisque favoribus propensius excitemus, prout pia praelatorum praesertim fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quos in partem laborum evocavit Altissimus, vota exposcunt et nos locorum et temporum qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane sicut dilectus filius noster Otho tituli sanctae Sabinae presbyter Cardinalis, Augustanus nuncupatus, qui Ecclesiae Augustensis Provinciae Moguntinae ex dispensatione apostolica praesse dinoscitur, nobis nuper exposuit: cum fere tota Germania iam per triginta annos continuos et ad haec usque tempora calamitatibus et pestiferis haeresibus oppressa et involuta extiterit, et propterea si unum generale studium diversarum artium et scientiarum catholicarum, ad pueros et alias personas inibi bonis moribus, virtutibus et huiusmodi scientiis ornandos et imbuendos, in oppido Dilingae Augustensis Dioecesis sub invocatione sancti Hieronymi erigeretur et institueretur, profecto huic morbo in tota fere Germania huiusmodi, ut praefertur vigenti, ulterius ne serperet, non parum occurreretur, et fides orthodoxa inibi cresceret et augeretur ac manuteneretur. Quare praefatus Otho Cardinalis nobis humiliter supplicavit, ut in dicto oppido Universitatem studii generalis in quibusvis liberalibus disciplinis et licitis facultatibus ad instar Bononiensis et Parisiensis ac aliarum tam Italiae et Galliae quam Germaniae Universitatum studiorum generalium erigere et instituere aliasque in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Cardinalis  
petitio  
eiusque  
causa.

Erectio  
Universi-  
tatis Di-  
ling. ad  
instar Bo-  
non. Paris.  
aliarum-  
que in Ita-  
lia, Gallia  
et Germa-  
nia Uni-  
versita-  
tum.

Nos igitur pium et laudabile praefati Othonis Cardinalis desiderium summopere commendantes, ac attendentes, quod ex literarum studio tam publica quam privata et tam spiritualia quam temporalia commoda proveniunt, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad Dei omnipotentis laudem in eodem oppido Tillingae, Universitatem studii generalis sub dicta invocatione sancti Hieronymi, in quibusvis liberalibus disciplinis et licitis facultatibus ad instar Bononiensis et Parisiensis ac aliarum tam Italiae et Galliae quam Germaniae Universitatum studiorum huiusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus et instituimus, ac illi sic erectae et institutae illiusque pro tempore existentibus rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, bidellis, nunciis et aliis officialibus ac personis, nec non membris et subditis, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeminentiis, Bononiensi et Parisiensi ac aliis Universitatibus praedictis illarumque pro tempore existentibus rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, procuratoribus, bidellis, nunciis et aliis officialibus ac personis, nec non membris et subditis in genere tam apostolica quam alias rite imperiali et regia auctoritatibus, aut alias quomodolibet concessis seu legitime praescriptis, ac imposterum concedendis et praescribendis, ac quibus illae et illi utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri ac gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere, nec non qui in quavis alia Universitate disciplinis et facultatibus praedictis studere inceperint, studium suum in ea continuare, et qui in dicta sic erecta aut quavis alia Universitate per tempus debitum studuisse ac scientia et moribus idonei esse comperti fuerint, in artibus et philosophia ac theologia et iuribus nec non physica et medicina ac aliis disciplinis et facultatibus praedictis bacchalaribus etiam formati et licentiaturae ac laureae nec non doctoratus ac magisterii et quosvis alios solitos gradus a praefato Othone Cardinali et pro tempore existenti Ecclesiae Augustensis praesule seu administratore seu scientiarum, in quibus promovendi pro tempore studuerint, lectoribus aut aliis personis per eundem Othonem Cardinalem ad tempus vel in perpetuum deputandis et constituendis aliasque modo et forma per ipsum statuendis recipere et ipsorum graduum solita insignia sibi exhiberi facere, et postquam gradus huiusmodi receperint et illorum insignia eis ut praefertur exhibita fuerint, facultates, in quibus promoti fuerint, legere et interpretari ac in eis disputare, nec non quoscunque actus, gradui seu gradibus per eos receptis convenientes exercere, aliisque omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in Bononiensi et Parisiensi ac aliis Universitatibus praedictis iuxta illarum constitutiones et mores ad gradus ipsos promoti de iure vel consuetudine aut alias utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt, ut praefertur quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, in omnibus et per omnia perinde ac si gradus huiusmodi in Bononiensi et Parisiensi vel aliis Universitatibus praedictis iuxta illarum constitutiones et mores huiusmodi suscepissent.

Facultas  
conferendi  
gradus.

Nec non eidem Othoni Cardinali et pro tempore existenti Praesuli seu administratori dictae Ecclesiae Augustensis huiusmodi, quod pro salubri dictae sic erectae Universitatis directione et conservatione aut rectorum, magistrorum, doctorum, lectorum, praeceptorum, procuratorum, bidellorum, nunciorum et aliorum officialium Universitatis huiusmodi electione, nominatione, institutione et quavis alia provisione ac scholarium manutentione, quaecunque statuta et ordinationes, licita et honesta, ac sacris canonibus non contraria facere et edere ac pro rerum, temporum et personarum qualitate mutare, corrigere et reformare seu illa cassare et alia de novo providere ac super illorum observatione quascumque poenas imponere, quae postquam facta, edita, mutata, correctata et reformata seu de novo condita fuerint, eo ipso apostolica auctoritate praedicta confirmata et approbata esse censi. Et iuxta eorum dispositionem, sublata quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere, ac quicquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, irritum et inane decernimus. Nec non eidem Othoni Cardinali quod per se vel suum in spiritualibus in dicta Ecclesia Augustensi Vicarium generalem in ipsius Universitatis rectorum ac omnes et singulos magistros, doctores, lectores, praeceptores, scholares, procuratores, bidellos, nuncios et alios officiales ac personas et suppositos, tam saeculares quam quorumvis ordinum regulares, cuiuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis et praecminentiae extiterint, etiam si exempti et sedi apostolicae immediate aut alteri praelato subiecti seu alienae Dioecesis fuerint, omnimodam tam civilem quam criminalem et mixtam iurisdictionem, in sibi subditos videlicet sua ordinaria, in exemptos vero seu alienae Dioecesis apostolica auctoritate praedicta exercere, visitare, reformare et corrigere ac errantes punire et castigare. Nec non ipsius Universitatis rectores, magistros, lectores, praeceptores, procuratores et alios officiales huiusmodi eligere seu eorum electiones aliis committere easque postquam factae fuerint, confirmare et approbare seu etiam aliis confirmandas et approbandas committere. Nec non quod tam ipse Otho Cardinalis quam lectores publici Universitatis huiusmodi, quos eis ut praefertur studuisse ac vita et moribus idoneos esse constiterit, ad gradus huiusmodi cum rigoroso examine ac forma et modo et sub conditionibus per ipsum Othonem Cardinalem statuendis promovere, ac quos ad doctoratus gradum promoverint, nec non dignitate et insigniis equestribus dignos esse iudicaverint ipse Otho Cardinalis et successores sui praefati tantum, milites seu equites auratos auctoritate et nomine nostris creare, constituere ac equestribus insigniis decorare omniaque militum ornamenta eis, ita quod omnibus privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, dignitatibus et praerogativis, quibus alii milites seu equites aurati a nobis creati utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, perinde ac si per nos creati fuissent, utantur, potiantur et gaudeant, concedere, omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria facere et exequi, ac ad ea omnia vices suas eidem moderno et pro tempore existenti suo in spiritualibus in dicta Ecclesia Augustensi vicario generali

Facultas  
condendi  
statuta et  
mutandi.

Datur  
Episcopo  
eiusque  
vicario iurisdictione  
omnimoda  
in omnes  
academicos.

Item ius  
eligendi.

Item Episcopo ius  
creandi  
equites  
auratos.

committere. Nec non quod pro tempore existentes ipsius Universitatis  
 rector, magistri, doctores, lectores, praeceptores et scholares praefati ad  
 quinquennium in dicta Universitate residendo et literarum studio insistendo  
 omnia et singula fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolu-  
 menta quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura,  
 saecularium et quorumvis ordinum regularium, quomodolibet qualificatorum  
 ac de iure, statuto, consuetudine, fundatione, privilegio aut alias personalem  
 residentiam et in synodis comparitionem requirentium, quae in quibusvis  
 ecclesiis sive locis nunc forsitan respective obtinent et in futurum obtinebunt,  
 cum ea integritate, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum qua  
 illos perciperent, si in eisdem ecclesiis et locis personaliter residerent ac  
 in synodis comparerent, percipere ac interim eisdem beneficiis per capel-  
 lanos ad eorum nutum amovibiles, per eos respective pro tempore depu-  
 tandos, in divinis deserviri ac curam animarum illis imminentem exerceri  
 et ecclesiastica sacramenta illorum parochianis ministrari facere, dioecesa-  
 norum locorum vel quorumvis aliorum, licentia desuper minime requisita,  
 libere et licite possint et valeant, plenam et liberam auctoritate apostolica  
 tenore praesentium concedimus facultatem. Quodque ad residendum interim  
 in eisdem beneficiis aut illis personaliter deserviendum ac in synodis com-  
 parendum minime teneantur, nec ad id ab eisdem locorum Ordinariis seu  
 quibusvis aliis, inviti compelli aut coarctari nec propterea suis beneficiis  
 privari possint, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratia indul-  
 gemus. Non obstantibus si in eisdem ecclesiis sive locis rector, magistri,  
 doctores et alii praefati primam non fecerint residentiam personalem con-  
 suetam et quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus  
 conciliis editis generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus.  
 Nec non eorumdem beneficiorum fundatione ac ecclesiarum, in quibus ipsa  
 beneficia forsitan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis  
 firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque,  
 indultis et literis apostolicis sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum  
 quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus et in-  
 solitis clausulis irritantibus et aliis decretis quomodolibet etiam iteratis  
 vicibus ac etiam motu proprio et ex certa scientia concessis, confirmatis  
 et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum  
 insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes,  
 illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et ex-  
 presse derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si eisdem locorum ordinariis  
 ab eadem sit sede indultum vel imposterum indulgeri contingat, quod  
 canonicos, rectores et personas ecclesiarum seu locorum suarum civitatum  
 et dioecesis, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus vel  
 officii constitutas, per subtractionem proventuum beneficiorum suorum  
 ecclesiasticorum aut alias compellere valeant ad residendum personaliter  
 in eisdem. Seu si ordinariis praedictis et dilectis filiis ecclesiarum earundem  
 capitulis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede  
 concessum vel imposterum concedi contingat, quod canonicis, rectoribus

Lis qui in  
 hac academi-  
 a docent  
 vel stu-  
 dent, con-  
 ceditur  
 privilegi-  
 um perci-  
 piendi  
 fructus  
 beneficio-  
 rum in  
 quinquen-  
 nium.

Non ob-  
 stante pri-  
 ma resi-  
 dentia  
 nondum  
 facta.

Clausulae  
 derogato-  
 riae.



et personis ecclesiarum seu locorum suarum civitatum et dioeces. praedictorum, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus aut officiis huiusmodi constitutis et in illis non residentibus, vel qui in eis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia sua ministrare minime teneantur et ad id compelli non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nulli etc. Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, octavo Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

F. Gutierrez.

Orig. auf Perg. im Allg. Reichs-Archiv zu München (T. I, S. 22).

#### Nr. 4.

*Kaiser Karl V. approbiert die Errichtung der Universität Dillingen und bestätigt deren Privilegien (T. I, S. 24).*

1553 Juni 30. Brüssel.

Carolus quintus, divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus ac Rex Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Insularum Balearium, Sardiniae, Fortunatarum et Indiarum ac terrae firmae, maris Oceani etc. Archidux Austriae, dux Burgundiae, Lothrici, Brabantiae, Lymburgiae, Luccemburgiae, Gheldriae, Wirtembergae etc. Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Arthesiae et Burgundiae, Palatinus Hannoniae, Hollandiae, Zeelandiae, Ferreti, Kiburgi, Namurci et Zutphaniae, Landtgravius Alsatiae, Marchio Burgoviae et Sacri Rom. Imp. etc. Princeps Sueviae, Dominus Frisiae, Molinae, Salinarum, Tripolis et Michliniae etc.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus et notum facimus tenere praesentium universis: Inter reliquis belli et pacis rationes, quibus Principum virtuti ad gloriam et immortalitatem aditus patet, nulla aut faciliior aut magis compendiaria via reperiri potest, quam si praeclara literarum studia, quibus et illorum fama fit perennior et rerum gestarum memoria ad omnem posteritatem emanat, auctoritate sua promovere, provehere, tueri et ornare studeant. Quod quidem maiores nostros praestantissimos quosque Romanorum imperatores, quorum vestigiis nos quoque omni cura insistere cupimus, diligenter animadvertisse ac religiose observasse constat, quibus non tam curae fuit, ut eorum imperia longè lateque paterent, quam ut liberalium artium Gymnasia amplissimis muneribus privilegiisque decorata florent. Cum igitur reverendissimus in Christo pater dominus Otho

Sanctae Romanae Ecclesiae tituli sanctae Sabinae presbyter Cardinalis ac Episcopus Augustanus, amicus Princeps et Consiliarius noster carissimus, non tam provehendarum liberalium artium quam veteris ac catholicae religionis nostrae instaurandae et conservandae studio et iusto zelo motus generale studium seu gymnasium in oppido Dilingae erexerit ac multis praestantibus in omni genere disciplinarum, praesertim vero in Theologia, viris instruxerit et in posterum plures alere et fovere constituerit: idque studium generale a sanctissimo in Christo patre domino Julio III. divina providentia sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Pontifice Maximo Domino nostro reverendissimo singularibus gratiis et privilegiis auctum et ornatum, et a nobis ex parte reverendissimi Cardinalis Augustani praedicti devote et sedulo petitum sit, ut huiusmodi generalis studii seu gymnasii in oppido Dilingensi erectionem nostra Caesarea auctoritate approbare, laudare ac non solum dicta privilegia per Beatitudinem summi Pontificis ipsi studio universali concessa confirmare, verum etiam ipsi quoque de Imperiali dignitate nostra de novo concedere et elargiri gratiose dignemur: Nos igitur praefati reverendissimi Cardinalis Augustani conatus non solum omni favore dignos, sed etiam summo studio iuvandos, confirmandos ac magis magisque accendendos existimantes, huiusmodi illius piis et iustis precibus benigniter annuendum duximus. Et propterea animo deliberato, ex certa nostra scientia, sano accedente consilio et de Imperiali potestatis nostrae plenitudine praedicti sanctissimi domini Julii III. Pontificis Maximi privilegia praefato Dilingensi gymnasio concessa, quorum tenor sequitur in haec verba: Julius Episcopus, servus servorum etc. Copiosus in misericordia Dominus etc.

In omnibus suis punctis, articulis, clausulis, sententiis et verborum expressionibus non solum confirmavimus, approbavimus, ratificavimus et autorizavimus, sed etiam de novo concessimus, indulgimus et elargiti sumus ac tenore praesentium confirmamus, approbamus, ratificamus, autorizamus et de novo concedimus, indulgemus et elargimur. Decernentes et praefata nostra Imperiali auctoritate statuentes ac volentes praeinserta privilegia omnia et singula in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis et verborum expressionibus rata, grata, firma, valida et perpetua esse et censi ac ab omnibus inviolabiliter observari debere, tam in iudicio quam extra, suppletentes ex certa scientia omnes et quoscumque defectus tam iuris quam facti, omnesque solemnitates tam extrinsecas quam intrinsecas et formales, quae in praemissis intervenisse debuissent, seu dici possent debuisse intervenire. Non obstantibus in praemissis aliqua lege, constitutione, decreto, statuto, consuetudine caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Quibus omnibus et singulis quatenus obstare possent praesenti nostrae confirmationi, indulto et concessioni, pro hac vice duntaxat et ad effectum praesentium totaliter derogamus et derogatum esse volumus, etiamsi talia forent, de quibus specialis mentio in praesentibus fieri deberet. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae confirmationis, approbationis, ratificationis, concessionis, indulti, derogationis,

privilegii et gratiae paginam infringere aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare praesumpserit, praeter nostram et imperii sacram indignationem gravissimam poenam quinquaginta marcharum auri puri fisco seu aerario nostro, totidem parti laesae, toties quoties contrafecerit, irremissibiliter pendendam se noverit incurrisse. Harum testimonio literarum Sigilli nostri Caesarei appensione munitarum.

Datum in oppido nostro Bruxellis Brabantiae die ultimo mensis Junii, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, imperii nostri tricesimo tertio et regnorum nostrorum tricesimo octavo.

Carolus. Ad mandatum Caesareae et Apostolicae Maiestatis  
proprium

Haller.

Orig. auf Perg. im Allg. Reichs-Archiv zu München (T. I, S. 24).

### Nr. 5.

*Statuten für die externen Studenten. 1554.*  
(T. I, S. 28.)

Statuta ab iis omnibus observanda, qui studiorum gratia ad Academiam nostram Dilingensem accesserint.

Otho miseratione divina sanctae Romanae Ecclesiae tituli sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis et Episcopus Augustanus.

Etsi gratia et favore Domini nostri Jesu Christi Gymnasium Dilingense, quod pro ecclesiarum ministris in ipsius laudem et gloriam nuper ereximus, longius provectum sit ac uberiores fructus iam ediderit, quam vel optare in tam brevi tempore fuisset ausi ipsosque alumnos nostros, qui in eo vivunt, honestis et Christianis legibus iam inde ab initio astrinxerimus: quoniam tamen scholas has non his modo, quos alimus, verum etiam quibusvis aliis, qui in sacris et Catholicis literis institui ac proficere desiderant, apertas esse optamus, necessarium duximus, communia alia statuta condere, quibus externi etiam et adventitii studiosi gubernentur, quo sit minor in omnibus ad ullam turpitudinem occasio atque licentia.

Etenim inter plurima et maxima nostrorum temporum mala non est hoc minimum, quod ferme omnia publica, nostrae saltem Germaniae, Gymnasia, in quibus Dei timorem et Christianorum morum disciplinam inprimis tradi oportebat, ea pestis invasit, ut explosa obedientia et omni honestatis reverentia relegata nusquam impunius quam in illis adolescentes et iuvenes peccent, nusquam liberiores habeant ad omnia flagitia voluntates, ut mirum accidere nulli debeat, si videat ecclesias et republicas passim labefactari et perdi per eos homines, qui ex Academiis corruptissimos mores ad earum gubernationem afferunt. Nos scholasticorum dissolutorum frequentiam vehementer detestantes et in nostro Gymnasio eos duntaxat viros institui et informari cupientes, qui tandem aliquando fide, doctrina et vitae hone-

state publicarum functionum magnitudinem et dignitatem sustineant, omnino decrevimus, nullum potius externum auditorem admittere, quam quempiam tolerare, qui non profiteatur, has se saltem leges, quas promulgamus, studiose observaturum. Confidimus autem hac ratione futurum, ut opus hoc, singulari Dei benignitate et impulsu inceptum, eius etiam beneficio retineatur et magis ac magis in dies augeatur. Nec dubitamus magnam nos gratiam ab omnibus viris honestis et Catholicae religionis amantibus hoc nostro consilio inituros (quantumvis asperum illud et grave corruptis et carnalibus hominibus esse videatur), ab illis praesertim parentibus, qui liberos suos ad nostras scholas ablegare instituerint; quibus profecto si ullo virtutum et Christianae doctrinae puritatis ac veri filiorum suorum profectus amore et studio capiuntur, nihil optabilius poterit accidere, quam ut videant, eo se suos liberos informandos ac erudiendos mittere posse, ubi omnis sit peccandi praecisa libertas et nulla turpis desidia impunita relinquatur, atque ubi salutarium illi legum limitibus septi tanquam in claustro honestatis inclusi teneantur.

Principio igitur iubemus, ut qui ad hanc nostram urbem studiorum gratia se contulerint, prius Rectorem Universitatis adeant, quam in scholas ad lectiones ullas audiendas ingrediantur. Rectori autem praecipimus, ut per se vel alium ab ipso constitutum ad se venientes de patria, parentibus et religione, in qua vixerunt, interroget, de libris item et praeceptoribus, quos audiverunt, et locis, in quibus versati sunt, utque eorum, qui idonei visi fuerint, nomina capiat, facta prius professione fidei et exacto ab eis iuramento de praestanda nobis et Rectori atque gubernatori nostro integra obedientia et de observandis nostris statutis.

#### De libris.

Ante omnia autem prohibemus, ne quis librum ullum haereticum aut suspectum de haeresi apud se habeat. Et Rectori mandamus, ut quoties Theologis Professoribus visum fuerit, scholasticorum omnium cum eorum, qui intra Collegium degunt, tum etiam exterorum cubicula et bibliothecas per se vel alium idoneum invisat et libros omnes evolvat atque inspiciat. Si quis pertinaciter inspici et excuti bibliothecam suam recusaverit, expellatur protinus ex nostra urbe, sive sit ille magister, sive paedagogus, sive auditor alius. Apud quem liber aliquis haereticus fuerit inventus, is primum pro Theologorum et Rectoris arbitrio punietur ac librum seu libros haereticos vel de haeresi suspectos Rectori reddere cogetur. Si tamen iterum in hoc crimine deprehensus fuerit, omnino expelletur ex urbe.

#### De pietate ac primum de sacro quotidie audiendo.

Universis studiosis, qui in scholis nostris lectiones audiverint, praecipimus, ut ad audiendum sacrum in Academiae aula singulis diebus conveniant. Ac nulli impune esse volumus, neglexisse hoc nostrum statutum utile omnibus inprimis ac salutare. Severius tamen illi corrigantur, qui

Dominicis et festis diebus sacrum et concionem in praedicta aula audire omiserint, et si quid aliud vel ibi vel alio loco, quod ad pietatem pertineat, traditum fuerit.

#### De confessione et communione.

Quantum conducat conservandae puritati conscientiae frequens peccatorum cum vera contritione confessio et sacrosanctae Eucharistiae susceptio, illi tantum non noverunt, qui praesentissimo et divino hoc adversus omnia nostra mala remedio vel uti contemnunt vel remissa fide aut absque devotione utuntur. Nos autem quoniam nihil prius habemus, quam ut scholastici in scholis nostris sanctis et Christianis moribus imbuantur, neminem in illis tolerari volumus, qui quater saltem singulis annis ad communionem Dominici corporis post veram peccatorum suorum confessionem non accesserit, die Paschae videlicet, die Pentecostes, die assumptionis B. Mariae, die Natalis Domini.

#### De catechismo ediscendo.

Quoniam incredibili hodie in universa hac regione verae et necessariae doctrinae ignorance laboratur, etiam inter eos, qui Catholica in religione perseverarunt et nos eo potissimum fine has scholas instruximus, ut in eis instituantur, qui hanc aliis tradere doctrinam possint, nimis esset profecto praeposterum et absurdum valde, si inde ab initio praecipuam illi operam summae totius nostrae fidei et religionis discendae ac intelligendae non darent. Praecipimus igitur omnibus, qui in Academia nostra versari et lectiones audire voluerint, ut habeant pium et eruditum catechismum, quem Rector et Theologi in hac schola proposuerint, et diligenter eum addiscant ac memoriae tradant, adeoque ut convenient, quoties iussi fuerint, ad audiendam eius explicationem. Idem vero eos facere volumus in ceteris omnibus, quae visa fuerint Rectori et Theologis tradenda, ut in pietate et religione instituantur.

#### De studiis.

Maximum damnum studia faciunt, cum rudibus ac sui commodi ignaris iuvenibus liberum relinquitur, ut quas cuique collibuerit, lectiones audiant: cui nos ut occurramus, statuimus, ut haec lex in nostris scholis perpetuo retineatur, ne cuiquam lectionem ullam audire permittatur aliam ab iis, quas et Rector ex sua ac Professorum sententia praescripserit. Professoribus vero omnibus etiam atque etiam commendamus, ut pro se quisque diligentissime curet, ne ullum ex illis auditoribus, qui suae fidei fuerint commisi, sive sint illi domestici sive externi, desidem et negligentem in studiis esse patiat, sed castiget potius et corripiat ea qua decet moderatione eorum ignaviam, praesertim vero cessationem a lectionibus, quae si assidua nimis et pertinax fuerit, referet de ea ad Rectorem, ut eius sententia aut puniatur severissime aut ex nostro Gymnasio excludatur, ne suo malo exemplo alios avocet et corrumpat.

## De honestate morum.

Quoniam ii iuvenes in nostris scholis educantur et instituuntur, qui aliquando servire Christianae reipublicae magna cordis puritate ac morum honestate debent, multo potior nobis cura est, ut honeste illi vivant, quam ut vel optime discant. Inprimis autem pudicitiam et sobrietatem commendatas omnibus cupimus, quod in his virtutibus prima honestatis fundamenta iaciantur.

## De pudicitia.

Quare praecipimus, ne cuiquam permittatur domum inhabitare, in qua femina sit suspectae pudicitiae, aut domum ingredi, ubi constet feminam esse aliquam, quae publice male audiat. Multo autem minus ferri volumus, ut eiusmodi quis feminam in suam domum introducat. Qui deprehensus in his criminibus fuerit, si admonitus semel atque iterum non resipuerit, exigatur ex nostra urbe; non enim in schola pudicitiae impudicus ullus tolerandus est.

## De sobrietate.

Vitia crapulae et ebrietatis propter gravissima delicta nostra ita nunc inoleverunt, ut qui Christiani sumus et tot divinis oraculis a teterrimis his pestibus abstinere identidem admonemur, excitari vel maxime ad resistendum illis debeamus. Cum igitur cunctos scholasticos nostros ab his sordidissimis et perniciosissimis vitiis longe alienissimos esse vehementer optemus, id ut possimus assequi, praecipimus, ne ullo unquam tempore quisquam ex iis, qui in nostris scholis literis operam dederit, cauponam bibendi gratia ingrediatur, multo vero minus in ea habitet neve usquam alibi computationibus vacet. Illos autem nominatim et praecipue puniri iubemus, qui vel in ebrietate deprehensi aliquando fuerint vel rixas in conviviis et mensis excitaverint vel inter pocula quaestiones de religione tractaverint. Poena autem huiusmodi eos affici volumus, ut qui primum in aliquod ex commemoratis vitiis collapsi fuerint, publice reprehendantur; qui iterum, in carcerem coniciantur; qui tertio, pro arbitrio Rectoris et Professorum castigentur; qui amplius, tanquam incorrigibiles ex nostra urbe pellantur.

## De retinenda pace et concordia.

Omnes hortamur, ut paci et concordiae Christianae magnopere studeant, ac graviter animadverti volumus in eos, qui alios vel convitiis appetiverint vel manu percusserint, sed multo acrius in illos, qui vel armis quempiam laeserint vel ea quidem ad laedendum acceperint.

## De vitandis discursationibus.

Ut recte studiis, pietati et honestati studiosorum omnium consulatur, prohibemus, ne quis ad loca haeticorum vicina sine necessitate et facultate Rectoris excurrat vel domo noctu egrediatur post primam proclama-

tionem vigilum, aut si aliquando iusta causa occurrat, non sine lumine et societate honesta incedat, sine armis et clamore. Nec aestivo tempore temere quisquam lavandi aut natandi gratia ad Danubium vel aliud flumen se conferat eique se committat. Qui secus fecerit, quamprimum fuerit deprehensus, in carcerem detrudatur.

#### De servando domi et foris decoro.

Interdicimus etiam universis, ne unquam personati per vicos urbis ambulent neve vel in curia vel in platea saltatoribus dent operam aut gladiatoribus, aut musico instrumento extra domum ludant vel nocturna muliercularum conventicula sive aedes, in quibus ad nendum conveniunt, adeant. Quod si quis in his profanationibus levissimorum hominum fuerit inventus, eum similiter volumus protinus includi in carcerem. Commendamus porro omnibus, ut magnam et domi et foris, et cum in scholis versantur, modestiam et compositionem in incesso, in verbis et gestibus adhibeant, utque domi quisque cum suis hospitibus tam honeste se gerat, ut nullam eis praebeat iustam conquerendi occasionem.

#### De armis non gestandis.

Nullus ex studiosis ense, pugionem aut telum ullum gestet. Qui post promulgationem horum statutorum cum ense, pugione vel telo alio fuerit deprehensus, ipsum amittat; gravissime autem puniatur, qui cum bombardam fuerit deprehensus.

#### De vestibus.

Quoniam autem ipsis etiam vestibus sua quaedam constat honestas, in qua viros studiosos a profano vulgo discerni oportet, nos hanc in habitu moderationem teneri omni tempore et observari praecipimus, ut qui aliquibus ordinibus initiati sunt aut sacris ministeriis iam destinati, talarem vestem ferant et pileum sacerdotalem. Reliqui vero veste exteriori utantur decenti, non brevi, non curiosa, non dissecta, sed ad suras usque saltem demissa et pileo sine plumis, floribus alioque profano ornatu. Vestes quoque suas decenter induant. Interiores vestes, caligae et calcei non sint dissecta.

#### De domicilio et sumptu.

Domicilii mutatio etsi interdum necessaria est, ea tamen non prius fiat neque Dilinga quisquam discedat, quam hospiti suo caeterisque creditoribus fecerit satis. Aes autem alienum sine urgenti necessitate ne contrahatur a quoquam, absque eorum, a quibus alitur, consensu et voluntate; eamque ob causam aleam omnem ac intempestiva privataque domi symposia severe prohibemus.

#### De statutorum diligenti observatione.

Caeterum ut firma et stabilia haec nostra statuta permaneant nec inventus gubernatorum suorum negligentia, quibus eorum conservatio maxime

curae esse debet, paulatim ab eis desuefacta ad suam pristinam corruptelam revocetur, Rectori nostro praecipimus, ut quavis hebdomade de cuiusque horum statutorum observatione inquisitionem fieri curet, utque omnes severiter admoneantur de lapsibus, qui per eam septimanam in eorum moribus et studiis deprehensi fuerint. Illos autem nominatim obiurgabit et reprehendet, quos has, quas nunc damus leges vel quas postea fortassis addiderimus, violasse comperit, poena illis pro delicti ratione imposita. Ordinariae quidem poenae erunt huiusmodi: Qui semel a sacro Missae officio aut vespers abfuerit, aut si semel lectionem neglexerit, sine Rectoris vel Praeceptoris consensu, crucigero uno mulctetur; qui tardius venerint aut levius peccaverint, leviori poena castigentur; qui frequentius absunt aut Rectoris seu Professorum admonitionem et leviores poenas contempserint aut denique enormius deliquerint, coniciantur in carcerem vel aliter puniantur. Pertinaciter rebelles et prorsus incorrigibiles a reliquo studiosorum consortio expellantur.

Pauca haec nunc duntaxat statuta proponimus; sed quae inprimis utilia et necessaria iudicavimus ad educandos in Christiana disciplina huius scholae discipulos. Verum quoniam haec statuta remedia sunt ad medendum imminentibus morbis comparata, augenda erunt postea aut immutanda, pro eo atque studiosorum mores et tempora exigere videbuntur. Actum Dilingae in arce residentiae nostrae. Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto.

### Nr. 6.

#### *Lateinischer Auszug der Statuten für die externen Studenten* (T. I, S. 30).

#### Summa statutorum Academiae Dilinganae.

1. Interrogati primum de patria, religione, studiis, iudicatique idonei polliceantur, se legibus Academiae huius obtemperaturos datoque nomine in catholicae fidei formulam ipsis proponendam iurent.
2. Libros haereticos, lascivos vel magicos ne habeant; si habuerint, eos amittant et rectoris arbitrato puniantur. Dubios magistris suis inspicandos offerant.
3. Omni die sacrum in aula Academica audiant; precibus item vespertinis aliisque sacris ibidem habendis, qua decet modestia et religione intersint.
4. Antea per sacerdotem expiati quater minimum in anno S. Eucharistiam accipiant, Paschae, Pentecostes, Assumptionis Deiparae et Natalis Domini feriis. Peccata etiam crebrius confitebuntur.
5. Magistros audiant, qui ipsis fuerint nominati, et audiant assidue; neque a gymnasio absint sine rectoris vel praecceptoris consensu.
6. Ebrietatis et intemperantiae pestem omni tempore fugiant; neque in conviviis de religionis sanctae capitibus disceptent.



7. Hospitia inhonesta, ut ea in quibus mulieres habitant impudicae, vel studiis minime opportuna, ut cauponas, omnino vitent.

8. Conventicula nocturna muliercularum ne accedant; neque sine facultate ea loca, in quibus homines novam religionem profitentur.

9. Nec liceat cuiquam esse cum telo, seu pugio seu gladius seu quodvis demum genus armorum fuerit.

10. A iuramentis, conviciis, verbis ac gestibus obscoenis sive scurrilibus, a pugnis item et rixis prorsus abstineant.

11. Personati aut cum musicis instrumentis per urbem non ingradientur; neque vel in curia vel in platea gladiatoribus et saltatoribus dent operam.

12. Cum primum nocturnus vigil horam voce nuntiaverit, nemo foris esto. Quodsi necessitas urgeat, non sine lumine aut incomitati eant, sine armis tamen et clamore.

13. Vestis sit eiusmodi, quae studiosis literarum conveniat, non curta, non curiose parata, sed vel ad talos (si ecclesiastici fuerint) vel ad suras usque demissa. Pileus careat plumis, floribus et simili ornatu levi et profano. Caligae, thoraces, calcei non sint secti vel indecori.

14. Nemo in flumine lavet vel se ei congelato temere committat.

15. Hospitem nemo prius mutet aut Dilinga discedat, quam et hospiti et creditoribus aliis fecerit satis. Aes autem alienum sine urgenti necessitate ne contrahatur a quoquam, absque eorum, a quibus alitur, consensu ac voluntate; atque ob eam causam alea omni mutisque domi computationibus abstineant.

16. Qui a re divina, a precibus vespertinis, a ludo abfuerit, cui copia facta non sit, pro delicti ratione ex iudicio praefecti multabitur.

17. Qui frequentius absunt poenasque leviores et Rectoris admonitiones nihili pendunt, aut si qui etiam gravius peccaverint, testimonium ab Academia nullum impetrabunt et in carcerem coniciuntur aliamve poenam de sententia superiorum sustinebunt. Rebelles et desperati e studiosorum coetu exterminabuntur.

## Nr. 7.

### *Deutscher Auszug der Statuten für die externen Studenten (T. I, S. 30).*

Kurzer auszug der sážung und ordnungen, wie sich die frembden, so in des hochwürdigsten fürsten und herrn, herrn Otho der hailigen römischen kirchen, des titels sanctae Sabinae priesters cardinal, und bischof zu Augspurg, collegio zu Dillingen nit underhalten, sondern auf iren kosten daselbs studieren werden, halten sollen und müessen. M. D. L.

Der hochwürdigst fürst und herr, herr Otho, der hailigen römischen kirchen, des titels sanctae Sabinae priester cardinal und bischof zu Augspurg, laßt allen und jeden, so christenlicher leer und zucht halben sich hieher gen Dillingen bei ihrer F. G. collegio (das sie zu erbauung christenlicher pflanzen

und widerbringung catholischer leer und gaistlicher zucht daselbst aufgericht) auf iren selbs kosten, dieweil denen, so je F. G. mit aller notturft insonderhait underhalt, ain sondere maß und ordnung gegeben, zu studieren verfüegen, was stands oder wesens sie seien, über das es gemainiglich allen studenten und schuelern besonders fürgehalten worden, hiemit öffentlich verkünden, wie sich alle die, so jezo gegenwertig hie sein, oder sich von frembden orten, studierens halben, künftiglich hieher thun werden, zu der ehr Gottes, irem selbs nuß und wolhart schicken und halten sollen.

Und erstlichen, ordnen und wollen hochgedacht ir F. G., daß alle die, so von studierens und lernens wegen hieher kommen, sich bei dem rector anzaigen, die alsbald für die doctores der hailigen schrift geführt und irer vaterland, eltern, glaubens, büecher, schuelmeister und der orten, da sie gestudiert, befragt, und nachdem sie taugendlich erfunden, und den aid, daß sie dem rector gehorsam und disen unsern sazungen geleben wollen, gethan, zugelassen und eingeschriben werden sollen.

Zum andern, soll kainer kain argwönig oder kegerisch buech bei ime haben, und der rector, als oft es die theologen für guet ansehen, aller studenten und schueler, sie seien in oder außer dem collegio, auch der professoren der nidern faculteten kamern und librarien durchhüechen und ersehen; welcher sich aber diser inquisition verwidern wurde, er sei preceptor, pedagogus oder auditor, der soll in diser unser statt nit geduldet werden; bei welchem aber ainich kegerisch buech funden wurdet, der soll nach guetachten der theologen und des rectoris, denen er sollich buech zustellen solle, für das erst gestraft, und für das ander mal in irer F. G. statt nit geduldet werden.

Zum dritten, sollen sie alle tag in des collegii capellen meß hören, die übertreter nach gelegenhait, aber die, so an den hailigen sonn- und feiertägen den gottesdienst und predig in gedachter capell versaumbten, vil härter gestraft werden.

Zum vierdten, wollen ire F. G., daß alle studenten und schueler, sie seien in dem collegio oder außershalb desselben, so die zeit irer vernunft erraicht, vier mal des jars, und nemlich zu ostern, pfingsten, unser frauen himmelfahrt und weihenachten, nach christenlicher beicht, das hochwürdig sacrament des altars empfangen.

Zum fünften, sollen sie den catechismum, so wir in unserm stift ausgehen lassen, wol und auswendig lernen, darumb sie, als oft sie zu dem und anderm, das zur christenlicher gottseligkait dienet, erfordert werden, zusammenkommen und die auslegung oder fürhaltung desselben mit fleiß hören und vernemen sollen.

Zum sechsten, soll kainer kain andere lection, dann die ime der rector und theologi befehlen, hören oder darzu gelassen werden.

Zum sibenden, sollen die preceptores ir aufmerken haben, daß die studenten oder schueler fleißig studieren, die unfleißigen sollen sie strafen, und welche ire lectionen so oft versaumen wurden, die sollen nach rath der theologen und des rectoris entweder hertiglich gestraft, oder aber von der schuel gar ausgeschlossen werden; sie sollen auch jederzeit mit einander latein und sonst kain andere sprach

reden, es sei dann, daß inen sollichß, wann sie außßerhalb der statt spazieren gehen, auß sonderer Bergünstigung zugelassen werde.

Zum achten, sollen sie sich von füllerei und aller unrainigkeit, auch der heuser, da verdachte oder verkeumbte weibsbilder wohnen, enthalten, und noch vil weniger ain solche in ire behausungen führen; welcher aber in sollichen lastern nach ainer oder mer warnungen, er sei ain preceptor, student oder schueler, erfunden wurde, der soll in unser statt kainßwegß geduldet werden.

Zum neunten, soll deren kainer trinkens oder essens halb in kain öffentlich wirtshaus gehn, noch sich anderswo füllen; wann aber ainer in voller weiß oder bei malzeiten und dem tisch unfrid erwecken, oder zwischen dem trinken von dem glauben disputieren wurde, der oder die sollen für das erst mal mit worten öffentlich, für das ander mit der gefängnuß, für das dritt nach der theologen und des rectorß guetachten gestraft, und die, bei denen kain besserung zu verhoffen, in irer F. G. statt nit geduldet werden.

Zum zehenden, sollen die, so andere mit hitzigen ungebührlichen worten antaschen oder hand anlegen, hart, aber die so schlagens wegen ainiche wör angriffen, oder jemand damit beschedigten, heftiglich gestraft werden.

Zum aifften, soll kainer, nachdem der wächter das erst mal der nacht die uhr ausgerueßt, auß seiner behausung gehn; wurde er aber betreten, so solle er gefängnußt werden.

Zum zwelften, sollen weder die preceptores noch studenten bei vermeidung der straf des kerkers, vergwandt oder verummumt, noch zu kainem tanz oder auß der gassen mit ainichem sainen oder anderm spil gehn, und sollen sich insonderhait all beleißen, daß sie in den heusern, schuelen und außßerhalb, der bescheidenhait und zucht, es sei mit worten, geberden oder anderm, erscheinen und sich dermaßen gegen und vor den herrschaffen irer behausungen halten und erzaigen, daß irenthalb jederman gebessert, und meniglich klaglos gehalten werde.

Zum dreizehenden, soll kainer bei verlierung derselben, kein seitenwör oder tolichen tragen, oder bei ime finden lassen.

Zum vierzehenden, sollen alle, die weihen haben, oder zu dem kirchendienst geordnet sein, priester paret, und lange röck bis auß die ferßen tragen, die andern mögen die obern röck etwas kürzer, und die sampt den leibröcken, wammß und hosen, unzer schnitten oder ungestückt, und mit andern farben unverbremt, ire pareter erbar, ohne federn, steft, und aller anderer zierden frei und schlecht haben, und leglich sollen alle studenten und schueler den ersten samstag aines jeden monats in des collegii capellen oder an ainem andern gelegnen ort zu ainer bestimten stund durch den rectorñ zusammen erfordert, und in der gmain auch insonderhait alle und jede, irer nitthaltung diser statuten, übertretung, und verbrechens erinnert, und darumben gestraft, die sich aber deß verwidern wurden, von dieser schuel ausgeschlossen werden.

Deß zu urkund haben ir F. G. ir insigel hierunder zutrukken besolchen, den vierten monats jultii, des hailigen bischofs und irer fürstlichen gnaden stiftß patronen santt Ulrichß tag, Anno x. Im fünfzigsten.

## Nr. 8.

*Die ersten Statuten für die Studierenden im Kollegium des hl. Hieronymus. 1557. (T. I, S. 17.)*

Institutio et statuta Collegii studiosorum Clericorum sub invocatione et protectione S. Hieronymi a Reverendiss. Principe et D. D. Othone S. R. E. Tituli S. Sabinae Presbytero Cardinale et Episcopo Augustano, Dilingae fundati et erecti.

Otho Truchses Miseratione Divina S. R. E. Tituli S. Sabinae Presbyter Cardinalis et Episcopus Augustanus Studiosis fidelibus nobis dilectis sinceram in Domino charitatem.

Causa erecti collegii. in disciplina Ecclesiastica et sana doctrina, dilectissimi in Christo filii, ea est potissima causa, nempe ut sanctae nostrae religioni Catholicae et Ecclesiae Christi non solum penuria ministrorum, qui moribus et doctrinis consonis et salutaribus plebem Christianam aedificare velint et possint, sed etiam innumeris haeresibus, schismatibus et vitiis laboranti pro virili nostra, quantum dederit Dominus, subveniremus. Hoc enim nos Christo Domino Ecclesiaeque matri debere agnoscimus, idque maxime in dioecesi nostra, de qua atque animabus in ea nobis commissis rationem in ultimo illo examine reddituros nos esse certo scimus et non sine ingenti horrore cogitamus. Post magnam itaque anxietatem et sollicitam multamque consultationem propter hanc desolationem Ecclesiarum, de efficaci aliquo et praesenti remedio tanto huic malo opponendo susceptam, nullum nobis visum utilius fuit, quam ut nos ipsi, quibus hanc curam Christus commisit, bonae indolis et spei iuvenes Ecclesiae nutriendos, moribus piis et doctrina pura ita imbueremus, ut Pastores et Doctores Ecclesiis nostris ex eis deligere et dare possimus. Ad quod opus statim nosmet ita accinximus, ut non solum, quamdiu Dominus nobis vitam concesserit, id fecisse contenti simus, verum etiam ut hoc ipsum in dioecesi nostra perpetuo fiat, magnopere laboremus. Quamobrem clericorum Ecclesiasticis moribus et scientia instituendorum Collegium, ad Dei gloriam, fidei Catholicae exaltationem, haeresum expugnationem atque animarum salutem in oppido nostro Dilingensi sub beatissimi Hieronymi Ecclesiae Catholicae doctoris eximii sacrarumque literarum studiosissimi elucidatoris protectione, ex bonis ecclesiasticis erigere, uti videtis, atque dotare constituimus.

Oratio ad studiosos.

Huius autem consilii aedificiique vere spiritualis vos hodie primarios lapides Christo offero, sperans ipsum immensae suae gratiae munere vos ita repleturum salutarique doctrina ita firmaturum, ut aedificii huius ad Ecclesiae suae utilitatem permansuri dignum fundamentum esse mereamini. Vos, inquam, sic expolire atque ad normam Ecclesiasticam ita coagmentare cupimus, ut ipsi fidei Catholicae murus sitis, quem omnibus haeresibus, nunc maxime grassantibus et nostram hanc Germaniam misere vexantibus opponamus, ac seminarium, unde magna fortisque posteritas cum nostri

institutū, tum vestri principii sedula imitatrix exoriatur, relinquamus. Propositi itaque huius nostri vos conscios esse volumus, quo ipsi huic mentis nostrae destinationi et scopo coniuncti, ad id etiam mentis vestrae aciem consentientibus votis dirigentes, vos ipsos dominicis obsequiis mancipetis spontaneumque promptissimi cordis sacrificium creatori et redemptori nostro offeratis: quod ille cum misericorditer respexerit, larga benedictione multiplicet. Piis itaque precibus eius clementiam assiduo implorate, quo vos Ecclesiae suae dignos ministros, haeresum expugnatores assertoresque fidei Catholicae efficiat, quod ipsum summum gratiae eius existit divinae beneficium. Ut igitur hisce Deo gratissimis desideriis assuescatis, nosque curae nostrae et sollicitudinis optatos fructus de vobis iuste sperare posimus, volumus nunc puram integramque professionem fidei Catholicae a vobis recipere, quam in baptismo per susceptores Domino obtulistis: qua etiam coram Deo et angelis eius non minus, quam si proprio ore et sensu eam praestitissetis, obstricti tenemini ac quam omnis Christianus, ubicunque se occasio offeret, profiteri paratus esse debet, dicente Paulo: Ore confessio fit ad salutem. Quin etiam a vobis animi, quo vosmet Ecclesiae ministeriisque eius et nostrae obedientiae devovistis, testimonium requirimus, non in laqueum vestrarum animarum, sed in salutem et Ecclesiae aedificationem. His igitur, quae iam vestro nomine legentur, consentite, atque id coram omnibus clara voce fatemini.

Nos omnes in Reverendissimi Cardinalis et Episcopi Augustani domini nostri clementissimi Collegium recepti, et quicumque aliquod emolumentum studiorum gratia ab eo habemus, ut paternis eius sanctissimisque monitis pareamus, inprimis nos Catholicae et Apostolicae veraeque Ecclesiae filios et ad fidem, quam pia mater pro nobis, ut per baptismum adoptaremur in filios Dei, confessa est, adstrictos magnoque gratiae divinae munere ad illam adductos agnoscentes: eam orthodoxam et salutarem fidem totis cordis nostri praecordiis confitemur alacriter et firmissime tenemus, videlicet quidquid Catholica mater Ecclesia sive ex sacris Prophetarum et Apostolorum scriptis, sive ex Christi Domini et suorum Apostolorum traditione credit vel credendum docet, recipimus veraque fide sanctis illis magnisque Synodis, Nicenae, Constantinopolitanae, Ephesinae, Chalcedonensi, et caeteris etiam omnibus legitimis Conciliis atque ab Ecclesia receptis adhaeremus. Credimus etiam toto corde ipsius sanctae Ecclesiae unitatem et consensum in doctrina fidei, et unius Vicarii Christi Petrique successoris, Romani Pontificis in totam Ecclesiam atque sub illo aliorum etiam Episcoporum et Pastorum auctoritatem agnoscimus illique vero corde adhaerentes credimus, per Christi sacramenta in hac Ecclesiae unitate, et non extra eam, peccata remitti. Anathematizamus ergo et reiiicimus omnes antiquos et novos haereticos ac schismaticos, maxime Lutherum eiusque sequaces, cum anabaptistis et caeteris modernis haereticorum portentis. Atque ut Deus hanc fidei nostrae confessionem, coram eius Ecclesia a nobis exhibitam, misericorditer acceptet nobisque pro illa animam potius perdere, quam ut ab ea nos ratione aliqua sinat avelli, concedat, humillime precamur.

Professio  
fidei studiorum.

Mancipatio ad ecclesiastica ministeria et obedientia Reverendissimo exhibenda.

Dehinc et spontanea nostra voluntate nos ipsos, quantum in nobis est, ob Dei gloriam Ecclesiaeque eius obsequium et animarum nostrarum salutem, Ecclesiasticis ministeriis dedicamus ac mancipamus, hoc esse mentis nostrae votum significantes, ut scilicet in Ecclesia sub ducatu et obedientia Reverendiss. Cardinalis et Episcopi Augustani Deo militemus, cui nos inprimis, deinde et reverendissimae eius gratiae committimus: ut secundum quod saluti nostrae et Ecclesiae bono convenire iudicaverit, nos gubernet et dirigat. Juxta cuius mandatum volumus et Ecclesiasticos ordines suscipere et in hac Dioecesi ecclesiis servire, cum a Reverendiss. sua gratia honesta conditione oblata fuerimus iussi. Neque ab his ulla ratione discedemus sine rationabili causa eiusque consensu aut licentia. Quae omnia bona fide nos adimpleturos sic promittimus, ut tamen in futurum ex hoc ad nullum peccatum coram Deo obligemur. Si vero postea ob rationabilem causam mutata sententia emancipari et hac obligatione promissionis liberari voluerimus, restituemus omnes sumptus nostra causa factos. Ex hoc etiam tempore nos studio et disciplinae, quibus ad ministeria Ecclesiastica efficiamur idonei, tradimus. Volumusque omnibus Reverendiss. dominationis suae et eorum, quibus ipsa id negotii dederit, et mandatis parere et in honestate Ecclesiastica, obedientia et humilitate vivere, parati corrigi, cum deliquerimus, orantes Deum, ut eam nobis gratiam donet, qua nostrae et proximorum saluti prodesse valeamus.

Acceptatio huius fidei, obedientiae et devotionis a Reverendiss. facta et statuta, ad quae vitam formare debeant Clerici studiosi.

Cognita, dilectissimi filii, hac mentis vestrae promptitudine, qua vos Deo et Ecclesiae Catholicae mihi que obtulistis, non possumus non plurimum in Domino gaudere eique magnas agere gratias, qui vobis hanc animi devotionem donavit, confisi eum maiora quotidie additurum. Acceptata igitur hac vestra obedientia, quae vobis maxime utilia fore credimus, mox significare et tanquam regulam quandam, ad quam vitam et studia vestra formare possitis, proponere aggrediemur.

### De religione et cultu Dei.

#### Cap. I.

Scientia salutaris oratione aequiritur.

Salutaris igitur scientiae acquirendae praecipua via est oratio, dicente Jacobo: Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei (Jac. 1, 5). Ac Job etiam post longam commendationem et investigationem sapientiae: Deus (inquit) intelligit viam eius, et ipse novit locum illius, et dixit homini: ecce timor Domini, vel ut alii, eodem tamen sensu, pietas sive cultus Dei ipsa est sapientia (Job 28, 23. 28). Et ex persona sapientissimi illius regis scriptum est: Adii Dominum et deprecatus sum, et dixi ex totis praecordiis meis: Deus patrum meorum, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam (Sap. 8 et 9). Ac iterum: Optavi, et datus est mihi sensus; invocavi, et venit in me spiritus sapientiae (Sap. 7, 7). Quod de eo sacra regum historia nobis tradit:

cui cum Dominus impetrandi, quod postulasset, facultatem dedisset: Dabis (inquit) servo tuo cor docile, sum enim puer parvulus. Quam petitionem sic gratam fuisse Deo scriptura testatur, ut statim responderit: Quia postulasti verbum hoc, ecce feci tibi secundum sermones tuos. Sed et haec, quae non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet, gloriam etc. (3 Reg. 3, 9 sq.). Ut merito illi convenerit, quod scriptum est: Praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius, super salutem et speciem dilexi eam. Ac quod statim sequitur, optime quadrat his Dei verbis: Mihi omnia bona venerunt pariter cum illa (Sap. 7, 8 sqq.).

Propter haec ergo primo omnium volumus piis vos orationibus, psalmis, hymnis, et Ecclesiasticis officiis exerceri, hac adiuncta moderatione, ut neque studia impediuntur, neque interea devotio erga Deum aut timor amorve eius deperat. Venietis igitur diebus singulis in templum his, primo scilicet mane et vesperi, ut omnium dierum et operum atque vitae initium et finem Deum constituendum esse agnoscatis. Mane orabitis atque astantes participes eritis sacrificii Christi, quod in altari consecratur. Vesperi rursus orabitis ac beatissimae virgini matri atque patronae omnium Christianorum vos universamque Ecclesiam commendabitis. Noctu etiam, antequam sit dormiendum, orabitis, ut vobis praescribetur, et meminertis in his omnibus Dei misericordiam ad haeticorum conversionem extirpationemque haeresum implorare, orantes simul pro Catholicae Ecclesiae pace et tranquillitate proque iis omnibus, qui illi administrandae tam in temporalibus, quam spiritualibus praesunt, videlicet pro summo Pontifice, Caesare regibusque Christianis ac Episcopis caeteris, ac inter hos nostri etiam meminertis, qui vos et nutrir curamus et institui, ut det nobis Dominus spiritum sanctum. Ad quae omnia curabimus formas aliquas tradi, iuxta quas vestros formetis affectus. Denique psalmodum, hymnorum et orationum Ecclesiae certum pensum vobis praescribemus, ad illas et caeteras horas brevissimum quidem, sed erectis et praesentibus animis in Deum communiter persolvendum. Ut scilicet id, quod de sanctis patribus scriptum est, imitari discatis in pueritia vestra, requirentes modos musicos et narrantes carmina scripturarum (Eccli. 44, 5). Ad haec cum ad lectiones aut alia exercitia convenitis, ante omnia universi flectentes genua orabitis, postulantes a Deo veram sapientiam. Quam orationem ipse, qui vos docturus est, claudet, ut praescribetur. Idem autem ut in fine fiat volumus, ac vos hortamur, ut id in privatis studiis vestris imitemini, erigentes in principio et fine mentem ad Deum intellectumque ab eo postulantes. Quod et inter studendum saepius fecisse, valde Deo gratum existit et omnibus salutare. Haec ut recte peragi possint, conscientiae puritas et ab omni peccato praeservatio quam maxime est quaerenda, ut videlicet coram Deo inspectore et iudice non solum operum externorum, sed et cogitationum ipsarum abditissimarum semper viventes, dicamus cum Davide: Providebam Dominum in conspectu meo semper (Ps. 15, 8). Verum quoniam humana fragilitas ea est, ut sine culpa vita non transigatur, graviora crimina vitanda sunt, ita ut non solum exequutio, sed vel cogitatio

aut recordatio eorum sit fugienda. Frequentandae sunt etiam vobis Sacramentorum Christi medicinae, quas in remedium tantae nostrae fragilitatis reliquit, poenitentiae scilicet et mensae Dominicae, ita ut singulis mensibus sacerdoti vestra peccata confiteamini et Sacramento Christi, cum vobis scilicet id fuerit iniunctum, communicetis. Ad quae, ut opus est, peragenda, curabunt doctores vestri Theologi vel verbo vel scripto vos pie orandi, confitendi peccata atque conscientiae puritatem servandi rationem diligenter edoceri. Quae omnia vos accurate ediscere volumus, uti ab eis fuerit ordinatum. Ac primo compendium doctrinae Catholicae vobis exhibitum curabitis intelligere et memoria conservare, orantes secundum quod in eo docemini: dominicos dies ac festos, cum a lectionibus vacatur, sanctis exercitiis atque cum fructu profectuque scientiae et doctrinae, uti ordinabitur, volumus transigi et expendi. Instituta etiam ab Ecclesia festa ieiuniis ex eadem institutione manantibus honorabitis atque ad ea vos praeparabitis. Sed et ipsas sextas ferias devotione spirituali et memoria passionis Christi atque abstinentiae ieiunio volumus a vobis venerari; quod tamen moderatum et cuiusque viribus conveniens praescribemus. Quo vero iuxta Pauli verbum omnia maximeque in Ecclesia et divinis officiis honeste et secundum ordinem fiant, hortor vos, ut quoties ad ecclesiam vel divina officia convenitis, interius exteriusque, tanquam qui ante faciem Dei, summae videlicet maiestatis Domini, estis, vos coaptetis. Nemo ibi loquatur, nemo oculos huc illucque circumferat, sed cum omni habitus et corporis ac multo etiam magis animi gravitate astate. Deputabitur autem tempus conveniens, in quo omnes Ecclesiasticas ceremonias et ritus, ut quisque quid sibi et qualiter agendum sit noscat, doceamini. In quibus omnibus Rector vester, cui vos gubernandos committimus, negligentes aut contemnentis arguendo et digna severitate corripiendo vigilantissimus erit.

De ratione atque ordine studii Ecclesiastici ac primo de doctrina et doctoribus.

Cap. II.

Congruo nunc ordine post supra dicta de ratione orandi Deum, ad studia vestra ordinanda accedimus, ut vos etiam ex oratione ad lectionem procedendum esse discatis, qui salutarem veramque scientiam consequi desideratis. Primo igitur praeceptores ipsos admonemus et in Domino hortamur, ut illius veri soliusque perfecti magistri Christi Domini memores, eius erga idiotas, pisatores tardosque subinentiam benignamque supportationem imitentur, diligenter doceant et ad captum audientium se demittant, admoneant solliciti discipulos seduloque eos exerceant, ac paulatim ad altiora provehant et tardos expectent, ut Paulus magnus doctor gentium se fecisse ostendit: Facti sumus (inquiens) ut parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos (1 Thess. 2, 7); benevolentia et amore eos trahant ac, ubi opus fuerit, obiurgent et nonnunquam etiam, ut Christum et Paulum fecisse legimus, severius corripiant; laborem, quem viderint discipulis esse necessarium, non refugiant et quae sua sunt non

Quid praeceptoribus observandum.



quaerant, sed quae discipulorum, eorum profectus sua lucra suaque studia reputantes. Quae omnia et multo plura eos pro sua in Deum charitate zeloque religionis Christianae facturos non dubitamus. Sed haec pauca idcirco diximus, ut quae et quanta fuerint haec principia, etiam posteri intelligant.

Circa ea vero quae docturi sunt, cupimus atque ita exercitatorum doctorumque consilio ordinamus, primo, ut qui latinam linguam docent, puram illam tradant, non solum a soloecismis idque genus erroribus (quod eos diligenter facere volumus), sed multo etiam diligentius ab impuris, procacibus aut aliquid inhonestum sonantibus verbis prorsus alienam. Quae de re post prima rudimenta praeceptaque necessaria, quae non difficilia graviaque multitudine aut perplexitate, sed brevia, communia et dilucida esse debent, Ciceronem maxime, difficiliora aut faciliora eius pro captu eorum, quos docent, seligentes, aut alios ab omni suspicione inhonestatis quam remotissimos authores legant. Omittendi itaque comici sunt, nisi forte ex eis modi aliqui loquendi, in quibus nihil esset inhonestatis, desumpti seorsum tradendi iudicentur. Jam ubi de figmentis poetarum aut gentilium historiarum aliquid tradiderint (quod fieri quandoque non prohibemus), ita id faciant, ut inde ad veram virtutem et pietatem auditores aedificent. Neque velint in his docti videri, quod fieret, si discipulos suo exemplo ad ea magnificienda moverent, sed magis verborum scientiam aut eloquentiam se docere meminerint, ut ad veram maximeque scripturae sacrae sapientiam, in qua sola vera et salutaris rerum scientia est, citius pertranseant. Ad quam adhortentur suos discipulos, ne in iis immorandum et consensendum esse existiment. Curent etiam diligenter singulos declamationibus, epistolis et aliis id genus scriptis componendis pro cuiusque captu exercere. In quibus omnibus pia argumenta sunt proponenda, ut puerorum ingenia non solum literarum, sed etiam pietatis exercitatione proficiant.

Qui vero Dialectica vel Physica docuerint, eos volumus etiam a curiosioribus parvaeque utilitatis doctrinis abstinere, ita ut in iis scientiis discipuli non vanas victorias quaerere aut illarum ignaros contemnere, sed ingenium exercitatione promptius, et sacrae doctrinae capacius reddere contendant. Doceant ergo, quae certa et communia sunt. Rursum dubia et incerta pro eiusmodi tradant; sequantur in eis solidum aliquem et antiquum doctorem. Neque volumus, ut anxie de Aristotele aut alterius Philosophi verbis eorumve sensu agant. Sed haec omnia ita doceant, ut aperte videantur ad veram sacrae scripturae scientiam ascensuris gradum posuisse. Itaque tradant in his graviora et solidiora Aristotelis, atque in eis res magis quam verba. Textum autem ipsum paraphrastice per compendium exponant, illud in omnibus, ne quid nimis, considerantes. Jam, qui Theologica tradunt, meminerint verborum Pauli, quibus frequentissime admonet discipulos, vitandas esse inutiles quaestiones et pugnas verborum et quicquid ad aedificationem non conducit: ex quibus (inquit) oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae et conflictationes hominum

Ea quae docenda sunt in classibus inferioribus.

In classibus superioribus: a) in schola philosophica,

b) in schola theologica.

mente corruptorum et qui veritate privati sunt (1 Tim. 6, 4. 5). A quaestionibus philosophicis omnino absterneant; attamen, quae ex illis scientiis theologia praesupponit, iuxta planiorem sensum declarent et sententiarum, maximeque philosophorum, diversitates devitent, sacram scripturam et magistrum sententiarum, qui graviter et ex patrum sententiis dogmata Theologica collegit, praelegant atque inter haec antiqua illa lumina Ecclesiae, sacros scilicet Doctores latinos et graecos, qui semper in Ecclesiae unitate permanserunt, citent atque discipulos suos ad eos remittant. Inter quos Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, Hilarius et ex graecis Basilius, Gregorius uterque, Athanasius, Chrysostomus et plures alii eiusmodi sunt; quibus legendis magna ingenia longaque tempora non sufficiant. Hi igitur et qui eos sequuntur, divino spiritu et fervore charitatis pleni, in ore docentium frequenter habeantur. Neque scholasticam Theologiam reiicimus, sed illa, quae ex ea ad rem non pertinent, hoc est, ad aedificationem fidei, spei et charitatis, doceri nolumus. Itaque cum Magistro sententiarum sanctus Thomas, et maxime eius summa Theologiae in tres partes divisa, et summa, quam Contra gentiles vocant, legi discipulis debent et merito commendari. Quoniam haec doctrina solida multa graviter tradit habetque illos patres prae manibus, ac docet philosophica absque contentione neque illis inhaeret. Cui sanctus Bonaventura et Alexander de Ales non immerito adiungi possent.

Admonetur discipuli ad discendam sapientiam.

Vos porro, qui docendi estis, sollicitè considerate, quanta et dignitatis et utilitatis sapientia sit, et sapientia divinitus a Deo ipso mortalibus tradita, ad quam discendam a primis ipsis principiis contenditis. De hac enim sacra scriptura dicit: Preciosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari (Prov. 3, 15). Quo unico verbo cuncta, quae dici possint et cogitari, videtis comprehensa esse. Nam omnia quae desiderantur, omnia, inquam, animi et corporis bona sapientia excedit, et excedit quidem inaestimabiliter ac supra quam ab homine credi possit; ad hanc igitur vobis comparandam, omni diligentia, labore et cura intendite. Audite eandem sacram scripturam dicentem: Quasi is, qui arat et seminat, accede ad illam et suscipe bonos fructus eius. Et iterum: Si quaesieris eam, quasi pecuniam et quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini (Prov. 6, 19; 2, 4). Habete igitur prae oculis Christi pueritiam, in qua, cum esset ipsa sapientia Patris, ut formam vobis praeberet discendi, in medio doctorum primo audiens, deinde interrogans et respondens sedere voluit, desertis matris domusque propriae blanditiis, humilibus quidem illis et pauperibus, sed quibus ea aetas egebat.

Quomodo studiis sit vacandum.

Vos itaque studio earum doctrinarum, quas vobis tradiderunt praeceptores, insudabitis diligenter, mature, opportune et humillime ad lectiones, repetitiones et exercitia convenientes attentissimisque et avidissimis cordibus excipientes doctrinam, quam in privatis studiis diligenter ruminabitis ac mente revolvētis. Quod ita volumus fieri, ut vobis per doctores vestros quid audire et quibus horis adesse in gymnasiis et quibus etiam in privatis vestris studiis occupari debeatis, ex praescripto tradatur, atque ut vobis,

quantum commode fieri poterit, ad lectionem quamlibet tria tempora deputentur: primum audiendi, secundum meditandi atque secum repetendi audita, tertium inter se illa conferendi. Nam hoc modo cognosci poterit, quo quis ingenio valeat quantumque sit diligens. Erit ergo muneris vestri, conari semper ad ea, quae auditis intelligenda, magistros prudenter et modeste interrogare, maiores audire, cum aequalibus conferre, minoribus communicare, idque semper discendi aviditate absque contentione, absque studio victoriae aut gloria, absque invidia, sed amore sapientiae, illam ab omnibus agnitam esse cupientes. Clamores igitur immodestos et contentiones omnino reiiciendas esse iubemus. Sunt tamen dubitationes proponendae, audiendae responsiones, nonnunquam etiam obiciendum aliquid et ad veritatem magis elucidandam confirmandamque et exacuendam aciem intellectus argumentandum.

Quo vero in studiis debita moderatione vos habeatis, decrevimus somni atque vigiliae tempus moderari, ita ut neque inertia vobis torpere liceat, neque rursus nimia et supra vires fatigatione deficiatis. Volumus igitur, ut usque ad horam nonam in principio noctis vigiletis, ac tunc omnes cubitum eatis et usque ad quartam, ut minimum, vel ut plurimum ad quintam usque, praesertimque minores et ii, quos Rector iudicaverit non sufficere tanto labori, in lectis maneatis. Hora vero quarta ad studia ac orationes privatas surgatis. Hora autem sexta matutina hieme, aestate vero quinta volumus vos ad preces et sacrum convenire. Quibus expeditis lectionibus et studiis vestris usque ad horam N. vacabitis, qua prandium sumetis. A prandio vero, ut visum fuerit lectoribus atque Rectori, lectionum auditorum exercitiis atque studio operam dabit, ita ut semper relinquatur spatium aliquod quietis atque remissionis, vel mox a prandio vel ante caenam, quae erit hora pomeridiana N. Ita tamen ut ante illam ad preces et antiphonam, Salve Regina, cantandam conveniatis. Curabit ergo Rector diligenter, ut haec, maximeque vigilandi et dormiendi tempora serventur, praepositis ad id aliquibus, qui maturius surgant et curam habeant alios excitandi deferendique ad ipsum eos, qui id neglexerint. Itaque nemo sine eius dispensatione vel tardius vel citius aut lectum intret aut ab eo surgat aut reliquas constitutas horas studii vel otii praetereat.

Ordo  
interdium  
servandus.

### De moribus.

#### Cap. III.

Jam vero ut haec probe serventur vosque ab adolescentia vitae Ecclesiasticae dedicati, illa digni efficiamini. volumus in externa vestra conversatione nihil esse non Ecclesiasticum, non honestum, non purum studiosisque sacrae scripturae indignum. Domi igitur sitis quieti, in silentio, deputatis lectionibus et exercitiis intenti. Nemo cubiculum alterius ingrediatur, nemo ad alterum tacite legentem, meditantem sive orantem aut quippiam agentem accedat vel eum ratione aliqua turbet aut impediat.

Studiorum  
intermit-  
tendorum  
tempora.

Cum studia intermittendi aut animos laxandi facultas fuerit concessa, tunc vel honestis ludis vel aliis corporis exercitiis aut deambulatione et confabulatione sese oblectare possunt, qui volent, ut eo alacrius studia repetant. Quod per spatium aliquod temporis a prandio et coena, idque prout se opportunitas longioris aut brevioris temporis obtulerit Rectorque commodum arbitrabitur, fieri volumus. Ita tamen, ut neque lectiones neque alia exercitia literarum, quod nulli vestrum absque speciali Rectoris aut professorum permissione licere alioquin volumus, propterea intermittantur.

Praecepta  
morum.

Inter haec vero caveant omnes summa cura, ne ad illicita linguam relaxent, sed cum omni eam diligentia custodiant, cum psalmographo et verbis et opere dicente: Dixi: Custodiam vias meas, ne delinquam in lingua mea (Ps. 38, 2). Multo autem magis abhorreant a iuramentis, periuriis atque supra caetera omnia a blasphemiiis absterneant, quae tria gravi censura notari et pro cuiusque aetate poenis dignis plecti volumus atque mandamus, ne iurandi, peierandi blasphemandique consuetudo ratione ulla dissimuletur aut permittatur. Ad haec etiam iocosa vel officiosa mendacia sunt vitanda. Caeterum detractiones, quibus fama absentium laeditur, susurrations, maledictiones, contumeliae, convitia aut irrisiones, si cuiquam exciderint, sine gravi poena nunquam relinquuntur. Denique quidquid turbare pacem vestram poterit, detestandum, et si forte inciderit, humili emendatione sanandum iubemus. Inhonestas vero vel impudica verba, cantilenae, aut libri lascivi tanquam praesentissimum venenum cavenda sunt. Ac in his verbi Apostolici meminisse oportet: Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudine aut stultiloquium aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio (Eph. 5, 3. 4). Atque eiusdem Apostoli statim vos etiam ipsos alloquentis: In psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus (Eph. 5, 19. 20). Denique vana ociosaque verba, si iusta necessitate aut utili commoditate careant, de quibus Christus reddendam esse rationem in die iudicii ait (Matth. 12, 36), sunt fugienda. Ac quoniam labilis est lingua humana et proclivis nostra corruptio ad lapsus linguae, Jacobo (3, 8) dicente: Linguam nullus hominum domare potest, et quilibet secum et pro singulis universi quantum possunt agant oratione ad Deum et admonitione fraterna, quo ad veram linguae modestiam pervenire possitis, scribente eodem Apostolo: Si quis putat se religiosum (hoc est Dei cultorem) esse, non refruens linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio (Jac. 1, 26).

Latine lo-  
quendum.

His omnibus, quae non nostra, sed Domini sunt mandata, neque quibusdam duntaxat, sed omnibus fidelibus dicta sunt, id ultimo addimus, ut semper domi et foris omnes latine loquamini, constituenturque qui caeteros de hoc admoneant, et quoties aliquem vernacula lingua loquentem audierint, designent, ut iuxta qualitatem negligentiae puniantur delinquentes. Conandum est etiam omnibus, ut congrue et pure loquantur, ac peccantes

in his ab audientibus emendentur, quod illi suscipere grato animo et hi facere modeste debent.

Volumus etiam, ut in mensa omnes cum religione et Ecclesiastica modestia sese habeant et signo aliquo facto ad prandium aut coenam conveniant, ac Rectore praesente, antequam sedeant ad mensas, lotis manibus benedictionem mensae prosequantur, qua peracta sedentibus cunctis primo incipiatur lectio sacrae scripturae vel alicuius libri ad aedificationem conducentis, deinde cum omni silentio et modestia comedatur. Et peracto prandio aut coena mensisque prius mundatis ad signum Rectoris surgant omnes ac Deo gratias agant.

Quomodo  
in mensa  
se habe-  
ant

Mensam volumus esse tenuem et frugalem, ut decet studiosos legis Dei et Ecclesiasticos; dicit enim scriptura: Quem docebit scientiam, aut quem faciet intelligere auditum, nisi ablactatum a lacte et avulsum ab uberibus (Is. 28, 9). Statuetur autem modus honestae et sufficientis sustentationis.

Extra horas refectionis communis nemo, nisi Rectore ex aliqua necessitate iusta ita volente, vel comedat vel bibat, nisi cui forte placuerit aquam puram sumere. Nulla autem ratione computationes vel commensationes extraordinarias permitti aut externos invitari volumus in Collegio nostro, neque extra illud alicui collegae cibum vel potum ulla occasione sumere licere sine Rectoris consensu, quem nolumus hac in re facilem esse. Incessus et vestitus sit honestus, neque volumus e Collegio quemquam egredi, nisi cum in templum vel scholas eundum fuerit, quo vadant simul omnes, qui ea hora audituri sunt lectiones.

Prohibetur  
extraordi-  
narius  
usus cibo-  
rum vel  
potus.

Caeterum ad campos, animi relaxandi causa, non nisi bini vel plures vel omnes simul vadant, quod frequentius volumus concedi, modo studia lectionum non impediuntur; in domos tamen aliquas non ingrediantur, sed recta in campos exeant, ubi conferre et meditari, quae audierunt, ac quandoque etiam ludo aliquo honeste corpus poterunt exercere. Jam colloquia et visitationes feminarum nullo modo nostris neque domi neque foris permittimus. Dormire vero pernoctareve extra domum, nulli liceat, neque proficisci aliquo sine Rectoris et legentium consensu ac magna causa.

Porro habitus erit clericalis, honestus scilicet et gravis, cuius certam formam proponemus, iuxta quam vobis nunc vestes dabimus, quibus cum ad sacram missam convenitis aut festis diebus utamini; reliquo vero tempore cuilibet uti licebit proprio habitu, honesto tamen et quantum fieri poterit ad clericalem accedente, idque in hoc principio, quousque aliter a nobis fuerit ordinatum.

Vestitus.

Ad haec omnia recte servanda obedientia, quam in Collegio nostro Rectori, quem constituemus, omnes praestare volumus, necessaria erit. Ita ut ei tanquam patri et nobis ipsis iuxta praedictas nostras ordinationes subditi existant. Rectoris vero officium erit, diligenter invigilare atque ex conversatione externa singulorum mores et ingenia agnoscere, omnes ad pietatem et omnium virtutum studium hortari, desides arguere et cor-

Obedien-  
tia rectori  
praestan-  
da.

ripere vitia, ita ut nihil sinat inordinatum sine iusta animadversione. Corriget vero eos aut privatim aut publice, magis minusve, prout qualitas culpaе et ingenium cuiusque aut aliorum aedificatio exigit. Aderit cum aliis in mensa, nisi forte iusta aliqua de causa sit abfuturus, ac tunc committat alicui ex maioribus, ut ad ordinem et disciplinam servandam vices suas expleat; quantum denique fieri poterit, praesens semper in Collegio sit frequenterque cubicula visitet, ut agnoscat quam graviter studio insistant ac omni honestati et quieti sese conforment, et curet ut munde conserventur vestes et reliqua tam propria quam communia.

Obedien-  
dum etiam  
magistris.

Non autem Rectori solum, sed propriis etiam Magistris discipuli obediant, servabiturque in his ordo a nobis disponendus. Praeterea et inter eos ipsos volumus omnem humilitatem sic observari, ut mutuis obsequiis et honore se invicem praeveniant. Nemo alium despiciat, sed minores maioribus assurgant et debitam reverentiam praestent; maiores etiam illis exhibeant omnem civilitatem, idque iuxta gradum cuiusque. Ille denique beatiorem se arbitretur, qui pluribus poterit obsequi et placere in bonum ad aedificationem, ut Paulus inquit.

Statuta  
singulis  
mensibus  
legenda.

Haec omnia et quae his tanquam huic instituto convenientia addentur, vos omnes, qui in nostram hanc studiosorum clericorum scholam sub protectione sancti Hieronymi recepti estis, servare decernimus atque iubemus. Quod ut efficaciter fiat, mandamus, ut singulis mensibus omnibus vobis simul congregatis haec omnia, quae statuta sunt, legantur, prima scilicet cuiusque mensis sexta feria; postea a Rectore, siquidem in particulari vel in communi contra ea peccatum sit, corrigatur, ac omnes ad eorum ob-

Violatores  
statuto-  
rum corri-  
gantur aut  
puniantur.

servantiam admoneantur. Curabit etiam Rector delinquentes, cum scilicet opus fuerit, frequentius corripere. Caeteros vero, quibus a nobis aliquod emolumentum ad studia tribuitur, volumus in templum et ad lectiones cum aliis venire ac in omnibus Rectori et proprio Magistro obedientes esse sineque eorum licentia hinc discedere non licere. In omni ergo honestate et pietate conversamini charissimi in Christo filii, alioquin ut indigni hoc nostro beneficio atque maioris promotionis spe, quam si dignos vos nostra gratia exhibueritis, vobis offerimus, privandi estis.

### Nr. 9.

*Statuten für die Ollarier oder die armen Studenten. 1559.*

(T. I, S. 467.)

#### Statuta pro Ollariis.

Regula et Statuta pauperibus S. Hieronymi in Academia Dilingensi per R. patrem f. Bartholomaeum Kleindinst Ordinis S. Dominici<sup>1</sup>. Et a R<sup>mo</sup> in Christo patre illustrissimo principe DD. Othone S. R. E. tituli

<sup>1</sup> Hier ist im Texte offenbar ein Wort ausgefallen, etwa conscripta.

S. Sabinae presbytero Cardinali Episcopo Augustano et Academiae Diligens fundatore approbata confirmata subscripta et sigillata anno 1559.

Primum volumus, ut regulam vobis praescriptam a nobis omni die Dominica in prandio et haec statuta primo cuiuslibet mensis die sic omnes audiatis, ut toto tempore custodiatis, deinde statuta universitatis omnia, sed potissimum ea vos observare, quae cultum Dei et pietatem atque honestatem praecipiant.

Quater praeterea in anno, si non quoties Collegiales, purgatis prius sacramentali confessione animis, venerabile sacramentum Eucharistiae devote et reverenter omnes suscipietis, idque in summis festivitatibus.

Insuper quotidie nomine benefactorum singuli dicetis psalmum Miserere etc., orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum symbolo Apostolorum, et sub sacro Germanicam orationem, quae incipit: *○ Gutiger Herr Jesu Christe ꝛc.*, et alteram latinam, cuius initium est: *Pietate tua quaesumus etc.* Studia etiam vestra publica quidem legibus Academiae volumus esse conformia, quemadmodum alii ita et vestrum singuli lectiones suas semper attente audiant, potissimum vero catechismum.

Privata studia. Priusquam edant, inter se repetant vel ex lectionibus aut contionibus audita. Quisquis vero se dignam non proposuerit quaestionem, a pulmento aut offa, non tamen pane abstinebit.

Quotiens a sacro missae officio aut a lectione abfuerit vel ad ientaculum aut merendam intempetive venerit, a refectioe quoque excludatur, nisi facultatem impetriverit.

Apposito cibo altum servandum silentium, benedictione dicta religiose omnes accedant, et ne ieiunet animus, vicissim quilibet leget in prandio libellum de imitatione Christi, et in coena libellum qui inscribitur *Vitas Patrum*, qui dicitur a S. Hieronymo compositus.

Lectori vero et ministrantibus non inferior servabitur portio.

Absolute prandio vel coena gratisque ac orationibus pro benefactoribus dictis singuli domum repetant.

Reliquias aliis pauperibus distribui volumus.

Eligatur unus ex illis senior, qui aliorum modestiam conservet sua gravitate.

Qui vernacula usus fuerit lingua, ad arbitrium Rectoris vel vicarii eius ab altero ferculo abstinebit.

Quisquis blasphemasse, falso aut leviter iurasse, de cibo murmurasse, dissidia disseminasse aut in plateis discursor fuisse, verba impudica dixisse aut aliquem percussisse convincitur, protinus abiiciatur, donec vere poeniteat.

Quisquis ex sua classe cum reliquis non est dignus, ut ad altiorem ascendat classem, abiiciatur, donec post tres menses diligentia resarciat neglecta.

Curabit procurator pauperum, ut et in contionibus et quando huc veniunt Episcopi vel magnates, illis pauperes commendentur.

Si facultas gazophylacii permittat, ordinamus et volumus, primo in infima classe ascendenti dari calceos, primo vero in secunda calceos et

caligas, primo in tertia calceos, caligas et thoracem, primo in quarta calceos, caligas, thoracem et pectoralem tunicam, primo in quinta praeter superiora etiam vestem talarem, primo in sexta addetur praeter alia pileus atque integer omnino vestitus, quem etiam prae omnibus aliis ad collegium S. Hieronymi, modo locus sit, recipi praecipimus. Reliquis vero excellentibus libellos, calamaria, papyrum, cultellos, devotas imagines aut aliquid huiusmodi. Ignavis vero et ultimis calamaria crassa et lignea, nigras scopas et ferulas; quos etiam calefactores creare (creari?), esse et dici volumus.

Porro horum statutorum vigore neminem nec ad venialem quidem culpam, sed duntaxat ad poenam secundum statuta irrogandam obligare intendimus.

Circa recipiendos observanda tria.

1<sup>o</sup> nullus ultra praescriptum assumatur numerum, nisi augeantur portiones, ne prioribus aliquid subtrahatur, a quocunque etiam commendetur. 2<sup>o</sup> nullus in posterum recipiatur, nisi perfecte legere et coniugare latinamque linguam si non loqui, saltem medioeriter intelligere valeat. 3<sup>o</sup> nullus recipiatur, nisi protestatus sit, quod quamprimum alius examinantis iudicio doctior ipso et non minus pius reperiatur recipique cupiat, tunc velit cedere; licebit tamen ei cum quocunque pro loco disputare sub examinerum iudicio etc.

Pater pauperum semper erit primarius S. Theologiae professor.

Sed haec omnia constituta sunt, priusquam R<sup>mus</sup> transferret omnem in societatem nominis Jesu facultatem et iurisdictionem<sup>1</sup>.

### Nr. 10.

*Kaiser Ferdinand I. bestätigt die Privilegien der Universität Dillingen (T. I, S. 25).*

1559 Juli 7. Augsburg.

Ferdinandus divina favente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae etc. rex, infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Moraviae etc., Dux Luemburgiae ac superioris ac inferioris Silesiae, Wirtembergae ac Thecke, Princeps Sueviae, Comes Habsburgae, Tirolis, Ferreti, Kiburgi et Goritiae, Landgravius Alsatie, Marchio sacri Romani Imperii, Burgoviae ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis et Salinarum etc.

Recognoscimus et notum facimus tenore praesentium universis. Celsitudinem et amplitudinem Romanorum Imperatoris ac Regis, qui Dei opt. max. beneficio ad hoc altioris dignitatis fastigium evectus est, decet, non

<sup>1</sup> Diese Bemerkung wurde den Statuten von dem Schreiber aus dem Jesuitenorden hinzugefügt.



solum imperii sui fines longe lateque propagare, verum etiam omnem curam et diligentiam adhibere, ut in pacata Republica bonae artes ac disciplinae floeant. Nam cum duo omnino sint gerendae Reipublicae tempora, alterum scilicet belli, pacis alterum, atque illius quidem utilitas foris, huius fructus autem domi constet: ea demum summa est Principis laus et gloria, eniti, Rempubliam non tam armis et virtute bellica, quam liberalium artium studiis reddere exornatam. Quandoquidem eisdem non solum politica rerum administratio regitur, fovetur ac stabilitur, sed ipsa quoque sacrosancta catholica nostra religio conservatur ampliaturque et gloria Dei omnipotentis illustratur. Quod cum a maioribus nostris continua successione factitatum sit, quibus ea vel praecipua cura fuit, ut bonis artibus ac disciplinis suis locus statueretur, quippe quod intelligerent, praeter maximas et quam plurimas utilitates, quae hinc ad homines redire consueverunt, hoc pacto sibi etiam aditum pateferi ad immortalitatem, atque eorum quae praeclare gessissent gloriam, publicis literarum monumentis consecrari ad memoriam hominum sempiternam: Nos hanc acceptam a maioribus legem et piam, salutarem laudatissimamque curam ac sollicitudinem non solum tueri, verum etiam augere et propagare omni tempore laboravimus et in futurum, Deo dante, non minori studio laborare constitutum habemus.

Quamobrem cum Reverendissimus in Christo pater, Dominus Otto tituli sanctae Sabinae S. R. E. presbyter Cardinalis, Episcopus Augustanus et Praepositus in Elwangen, Princeps et amicus noster clarissimus, superioribus annis, non minus tuendae ac propagandae veteris ac orthodoxae religionis nostrae cupiditate et ardore inflammatus, quam bonarum artium provehendarum studio adductus, Gymnasium seu generale studium omnium disciplinarum in oppido Dilingae aperuerit eamque multis in omni genere studiorum, praesertim vero in Theologia praestantibus viris exornaverit idque Gymnasium a felicitis quondam memoriae sanctissimo Domino Julio III. Pont. max. multis beneficiis ac privilegiis auctum et honestatum fuerit, quae postea divus quondam Carolus V. Romanorum Imperator Augustus, praeclarissimae recordationis frater et dominus noster carissimus, approbavit et de novo concessit. Ac demum nobis, ab honorabilibus nostris et sacri Imperii fidelibus dilectis, Rectore, Decano et Universitate praedicti studii Dilingensis, humillime supplicatum fuerit, ut huiusmodi Gymnasii erectionem et foundationem non solum approbare et laudare, verum etiam dicta privilegia a Sanctitate summi Pontificis primum, deinde ab ipso divo quondam Carolo Imperatore confirmata, Caesarea autoritate nostra confirmare, ratificare et, quatenus opus esset, de novo concedere gratiosius dignemur: Nos sane, quibus eiusdem Rectoris, Decani et Universitatis Gymnasii Dilingensis tam praeclarum in rem christianam et bonas artes studium plane vehementer probatur, eorum humillimis ac iustis precibus benigne ac clementer annuendum duximus. Itaque animo bene deliberato, ex certa nostra scientia, sano accedente consilio deque Caesarea autoritate nostra, praedicti sanctissimi Domini nostri Julii III. Pont. Max. privilegia et indulta, praefatae Academiae Dilingensi concessa et a praedicto divo

quondam Carolo V. Imperatore confirmata et approbata, quorum tenor sequitur in haec verba: Inter reliquas belli et pacis rationes quibus principum virtuti ad gloriam etc.

In omnibus suis punctis, articulis, clausulis, sententiis confirmavimus, approbavimus, ratificavimus, autorizavimus ac de novo concessimus, indulgimus et elargiti sumus, quemadmodum tenore praesentium confirmamus, approbamus, ratificamus, autorizamus ac de novo concedimus, indulgemus et elargimur. Decernentes et praefata nostra Caesarea auctoritate statuentes, praeserta privilegia omnia, tam ea, quae a sancto quondam Domino Julio III. praefatae Universitati Dilingensi data et concessa, quam ipsam praedicti divi quondam Caroli V. Imperatoris confirmationem, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis et verborum expressionibus rata, grata, valida, firma et perpetua esse et censi et ab omnibus inviolabiliter observari debere, tam in iudicio quam extra, suppletentes ex certa scientia omnes et quoscunque defectus, tam iuris quam facti, omnesque solennitates tam intrinsecas quam extrinsecas et formales, quae in praemissis intervenisse debuissent seu dici possent intervenire debuisse. Non obstantibus in praemissis aliqua lege, constitutione, decreto, statuto, consuetudine caeterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Quibus omnibus et singulis, quatenus obstare possent praesenti nostrae confirmationi, indulto et concessioni, pro hac vice duntaxat et ad effectum praesentium omnino derogamus et derogatum esse volumus, etiamsi talia forent, de quibus in praesentibus expresse et diserte mentionem fieri oporteret. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae confirmationis, approbationis, ratificationis, concessionis, indulti, derogationis, privilegii et gratiae paginam infringere aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare praesumpserit, praeter nostram et Imperii sacri indignationem gravissimam, poenam quinquaginta marcharum auri puri fisco seu aerario nostro imperiali ac parti laesae, toties quoties contra fecerit, irremissibiliter pendendam se noverit incurrisse, harum testimonio literarum, sigilli nostri Caesarei appensione munitarum. Datum in nostra imperiali civitate Augusta Vindelicorum, die VII. mensis Julii, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, Regnorum nostrorum, Romani vigesimo nono, aliorum vero tricesimo tertio.

Ferdinandus.

Daniel Archiepiscopus Mogunt:

Archicancell. m. propria.

v. Seld.

Ad mandatum Sacrae Caesareae Maiest. proprium.

M. Singmoser m. propria.

Orig. auf Perg. im Allg. Reichs-Archiv zu München (T. I, S. 25).